



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Victoria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A luptates suas interturbaret. Quod autem pertinet ad pugnacitatem, Nicander Alexipharmacis, *αὐχέπτι* *νεοσοῖε* inquit *pugnacibus* quippe *pullis Gallinaceis* exponit interpres: qui ut inter se dimicent assidue nati videantur, cum præsertim pugna semel ceptam idemdem repetant, nescii cedere: unde Græcum illud adagium, *ἀλεῖφρων ἄπτηδᾶ* *insultat Gallus*, de redintegrandis certamen: & *ἄγε* Martis pullum eum vocat Aristophanes, Avibus. Non est illud dissimulandum, quod licet sint animalia ad pugnam nata, inventum tamen est incitari eos ad pugnacitatem alio in cibum dato, quod Græci *προσδιέον* dicunt. Quod vero ait Salomon, *Gallus ambulans inter Gallinas lætus*, Eucherius imperii esse dicit significationem. Quod si in numum incidis Gallinaceorum confictu signatum scias eam fuisse Dardanorum pecuniam, Polluce teste: nam illi magnum pugnacitatis decus sibi antiquitus usurpaverē. Hinc honoratum semper apud Maronem Dardaniæ nomen, cum secus Phryges ferere semper velut imbelles notarentur. Jam & Chrysippus Gallorum æmulatione nobis adjici stimulos ad fortitudinem, atque inde quodammodo calcaria subijci scribit, libro de Justitia. Themistocles quoque Gallorum exemplo, in quos acriter pugnantes inciderat, exercitum confirmavit, eum ostenderet eos non pro patria, neq; pro penatibus, neq; pro majorum sepulchris, uxoribusve, aut liberis id incommodi aggressos, sed ea tantum de causa, ne vincerentur, nolle alterum alteri cedere. Omnium vero pugnacissimos Gallos habuisse fertur Rhodos insula: neque quidē adhuc ibi degeneravit ea volucrum hujusmodi ferocitas, & visenda proceritas, ut in quibusdam inde Romam allatis, ipsi conspeximus. A Galli vero pugnacitate factum, ut gemma Aleatoria, quam in Galli ventriculo inveniri tradunt, victoriam dicatur eam gestantibus comparare, qua Milo Crotoniates usus, invictus in certaminibus fuerit: de quo Plinius lib. xxvii. cap. x.

PERSÆ MILITES. CAP. XXIII.

Persarum porro milites Galli nuncupantur à Caribus, ob conos, quibus galeas ornatas habebant, eaque de causa Artaxerxes hominem è Caria, qui Cyrum jaculo vulnerasse creditus est, eo honestavit præmio, ut Gallum aureum in lancea præfixum ante aciem ferret: author Plutarchus. Sedenim Athenæus Gallos in Perside primum ortos ait, unde fortasse cognomentum id Persæ potuerint habuisse. Aristophanes, ut suus est mos omnibus illudere, Gallum ait olim Persis imperasse, unde ad huc cristatos in cassidibus. Quæ vero simulacra tria totidem Gallis adblandientia, spectantur in Antonini Pii Augusti numo, crediderim ego, ad mansuetissimum ejus ingenium spectare, ut qui pugnacitatem committigare procuraret, qui omnem belli ferociam quanto potuit studio emolliverit: utpote qui mallet unum civem servare, quam mille hostes occidere, solusque omnium Principum sine civili sanguine, & hostili etiam, quantum ad se pertineret, vixerit.

SUESANI. CAP. XXIV.

Unus autem Gallus toto surrectus corpore, cum phosphoro à tergo stella addita, ut inscriptio indicat, *Suesanorum pecunia fuit*.

VICTORIA. CAP. XXV.

In augurali vero disciplina Gallus est victoriæ signum: propterea quod avis illa victa silere solet, canere si vicisset. Hinc Lacedæmonii, ut apud Plutarchum est, cum hostem viribus profligassent, Gallum immolabant: qui Bovem tunc sacrificare soliti essent, cum sine cæde victoria obtigisset. Ferunt Socratem Iphicrati duci animos adjecisse, cum Gallinaceos coram Callia pennis & rostro dimicantes ei præmonstrasset: quod & Themistocles, uti diximus, ad suos animandos fecerat. Quod vero de cantu dicebamus, refert Iulius historiam, ex Callisthene Leuত্রice calamitatis tempore, quæ Lacedæmonios propemodum oppressit, cum apud Thebaidem Trophonio res divina fieret, Gallos gallinaceos in eo loco sic assidue canere cœpisse, ut nihil intermitterent: tum augures dixisse, Thebanorum esse victoriam. Pergami omnibus annis spectaculum Gallorum edi solitum scribit Plinius, idque Athenis etiam institutum à Themistocle, superatis Persis, ait Ælianus, quamquam ea & ludicro fieri apud Lucianum & Herodianum legas.

VINEARUM INCOLUMITAS. CAP. XXVI.

Methona civitas est in Træzeniorum agro, cujus incolæ Gallum pro vinearum incolumitate mactare soliti sunt, ut Africi venti, qui eas plurimum infestat incursionem vel averterent,